

**Quaestiones medicae duodecim ab ... Francisco Chicoyneau ... [et al.]
propositae in aula Episcopali Monspeliensi coram ... Josepho Sarret ... & ...
Caroli Joachimi Colbert de Croissy ... Pro regiâ cathedrâ vacante per
abdicationem ... Joannis Astruc ... / Quas ... propugnabit ... diebus 6. 7. & 8.
mensis Martii anni 1732 Petrus Guisard.**

Contributors

Guisard, Pierre, 1700-1746.
Chicoyneau, François, 1672-1752.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspelii : Apud Joannem Martel, Universitatis Medicinae Typographum,
1732.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dvm4n4gf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. F. F. F. Q. S.
QUÆSTIONES MEDICÆ
DUODECIM

AB

ILLUSTRISSIMIS VIRIS
R. D. FRANCISCO CHICOYNEAU
Cancellario Amplissimo, JOANNE BEZAC Decano
venerando, PETRO RIDEUX, ANTONIO
MAGNOL, HENRICO HAGUENOT, JACOBO
LAZERME, & GERARDO FITZ-GERALD, Regis
Confiliariis, Medicis, & Professoribus Meritissimis.

PROPOSITÆ


IN AULA EPISCOPALI MONSPELIENSI
coram Meritissimo & Dignissimo D. D. JOSEPHO
SARRET, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore Theolo-
go, Socio Sorbonico, & Illustrissimis ac Reverendissimis D. D.
CAROLI JOACHIMI COLBERT DE
CROISSY, Monspelienfium Episcopi, Vicario Generali.

Pro Regiâ Cathedrâ vacante

Per Abdicationem R. D. JOANNIS ASTRUC, in Collegio
Regio Parisiensi Professoris Dignissimi.

*Quas, Deo favente, propugnabit in Augustissimo Monspelienfi Apollinis
Fano, triduo integro, manè & serò, diebus 6. 7. & 8. mensis
Martii anni 1732.*

PETRUS GUIARD, D. M. Monspelienfis.



MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, Universitatis Medicinæ
Typographum. 1732.

QUESTIONES MEDICAE
THEOPELIM

FRANCISCO CHICOMNEAU
C. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala

FRANCISCO CHICOMNEAU
C. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala

FRANCISCO CHICOMNEAU
C. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala

FRANCISCO CHICOMNEAU
C. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala
V. de la Universidad de San Carlos de Guatemala





Paul - Lubert-P^e

ILLUSTRISSIMO
AC NOBILISSIMO VIRO
D. D. FRANCISCO
CHICOYNEAU.

SERENISSIMI DELPHINI;
Regiæque Stirpis Archiatro Dignissimo,
in Almâ Monspeliensium Medicorum
Academiâ Professori Regio Anatomico,
Botanico, Cancellario amplissimo,
Judici æquissimo, Horti Regii Monspeliensis præfecto, Regiæ Scientiarum
Societatis socio, & in supremâ computorum subsidiorumve Occitaniæ Curiâ
Senatori integerrimo.

ARCHIATER ILLUSTRISIME,

 *BI Patronum, Cujus auspicio hæc
mea de rebus Medicis tentamina
prodirent, quærendum habui; cui vove-*

rem non hæsiti dubius. Venit & quidem
protinus in mentem, hujus, à quo toties
singulari exceptus Benignitate sum, Cui-
que pro suis in me beneficiis debeo ma-
ximè, ambire præsidium: æternum ideò
observantiæ monumentum leve munus of-
fero Tibi, VIR AMPLISSIME, Qui
me tutari, juvare consiliis, doctrinà au-
gere non es dedignatus. Perexigua hæc,
quaeso, summa quâ Te prosequor venera-
tionis argumenta, ultrò Te accepturum
liceat sperare; ea si non abnuas, felicius
quid contigisse, aut contingere mihi nus-
quam posse, nemo mecum non arbitra-
bitur.

Non me latet, ARCHIATER IL-
LUSTRISSIME, quam arduum sit
iter quod ingredior; scio quid valeant
humeri, quid ferre recusent: novi
quæ sit Academia Monspeliensis; at si-
mul meminisse juvat quæ sit ejusdem Aca-

demia in alumnos humanitas : hanc si
amicam experiar, Tuque, VIR AM-
PLISSIME, hujus Decus & Orna-
mentum, si clientelam non deneges, in
arenam descendere haud quaquam dubi-
tabo : si victoriam non reportem, utpote
quod vires superet, pugnasse gloriosum
erit, nec non omnibus palam fecisse, Te
meum esse MÆCENATEM.

Ampla sanè hic foret, VIR NOBI-
LISSIME, laudum Tuarum materies ;
Quàm lubens ego, si fas esset, eximias,
quæ Te commendant dotes enarrarem !
Quàm letus prædicarem, quæ Tua sit
in detegendis naturæ arcanis Perspica-
citas, quæ in morbis profligandis Solertia,
quæ Prudentia, quæ profunda Eruditio,
quam hereditariam & à Majoribus ac-
ceptam Liberis nunc Tuis feliciter adeò
atque gloriose transmittis, quæque Te ad
summum honoris evexit fastigium. Quid

*de nobilitate generis ? Quid de egregiis
omnibus, quibus jamdudum Tua insig-
nitur Familia, Viris non dicerem ? Quid
inter omnes de celeberrimo socero Tuo
CHIRACIO ARCHIATRO-
RUM COMITE ? Verum quis tantum susti-
neat onus cui ipse impar Apollo. Tuis
ergo laudibus minor, & quæ Tua est,
Modestia inserviens, quas digno celebra-
re cantu nusquam licuit, VIRTUTES
profundè miror. Faveas opusculo, faveas,*

*ARCHIATER ILLUSTRIS-
SIME,*

*Jamdudum addictissimo &
obedientissimo clienti*

P. GUISARD.

*Dabam Monspeliï,
Die 6. Martii 1732.*




QUÆSTIO PRIMA.


An imperfecta Mulierum Conceptio, quæ Mola nomine designatur, à vitio Masculini Seminis pendeat, & certis quibusdam signis à naturali Graviditate distingui possit?

MULTA sunt, quæ sacro tegit involucro Natura, quotquot legis hypotheses; tot exempla prostant. Mirum sanè, quantum se torqueant, qui prorsus occultas, nec-non humano superiores intellectu rerum causas indigitant; mirabilius adhuc, quod amicissimæ secreta naturæ detexisse glorientur. An igitur inquisitio exulet? Haud quaquam; necesse rerum scrutatio diligens, quæ à fucosâ Systematum imagine aliena; suo quisque indulgeat animo, fingere cuique licitum usque fuit: opinionibus fictitiis invisus Medicus prudens nil nisi experienciâ evidenti stabilitum, demonstratione nitidâ fixum admittet; & quæ non novit, obscurum per obscurius exponendo, conatu irritò expedire non aggredietur. Intricatæ omninò & forsân insolubiles sunt molarum causæ, ac de iis dicturi, non tam ut inconcussam stabiliatur systema, quàm ut pro imposito munere, quæstioni allatæ fiat satis, hîc disseremus. Molam, nisi prægresso coïtu, in utero nusquam generari jam apud omnes in confesso est. Embrio ubi utero excipitur, nutrimentum tamdiù suscipit, tamdiùque crescit, donec grandior factus, solutâ placentâ, in caput pronus viam sibi ad exclusionem ipse naturaliter cudat. Occlusos vel oblitteratos umbili-

cales ductus pone, vitiatam feminalem auram, crassiore ali-
 bilem succum, tandem apertioribus placentæ tubulis, quâcum-
 que causâ strictiorem embrionis texturam finge; quo tempore
 crescit & augetur placenta, foetum pabulo defraudatum, ex-
 tinctum & obliteratum iri, consequens est. Aucta in dies, nu-
 trimento jam omni suscepto, placentæ moles uteri cavum citò
 replet, cujus immediato contactu pressa in massam carneam
 abit, quæ nec ossibus, nec articulis, aut membris ullis dis-
 tincta, determinatâ nec ullâ insignis figurâ reperitur. Præ-
 sentia Molæ à Graviditate verâ ægrè distinguitur; & quidem,
 supprimuntur catamænia, prostratur appetitus, tumet abdo-
 men, adsunt nausæ, vomitus; hæc autem fallacia, quis non
 videt, signa? alia habes, minùs æquivoca, quibus molam sus-
 picari tutius licet: citior initio solet, quàm in prægnatione,
 abdominis intumescencia fieri, æquabili modo tenditur
 venter, punctorius persentitur dolor, ponderis sensus urget,
 ac pro diverso in unam aut alteram partem, mutato corpo-
 ris situ, ponderantis instar globuli in unum aut alterum la-
 tus prolabitur Mola: supprimitur nonnunquam urinæ excre-
 tio, torpent admodum crura, ac si prout in Graviditate in-
 tumuerint mammæ, non vero lacte, sed limphâ quâdam te-
 nuî & serosâ turgidas deprehendes. Denique si post elapsum
 legitimum tempus nulla subsequatur parturitio, Molam utero
 concludi probabiliùs inferes. An Molæ reverâ producantur
 dubitas? fidem faciunt gravissimi Authores; dubium omne sol-
 vit Professor Dignissimus D. D. Rideux, qui ab octogenariâ,
 post annos septem-decim viduâ muliere exclusam Molam ob-
 servavit. His omnibus rationum momentis innixi concludi-
 mus.

*Ergò imperfecta Mulierum Conceptio, quæ Mola nomine designa-
 tur, non solum à vitio Masculini Seminis, verum etiâ ab aliis
 causis pendet, & certis quibusdam signis à naturali Graviditate
 distingui potest.*






QUÆSTIO SECUNDA.

*An Hysterica Passio & Hypochondriaca inter se differant ;
iisdemque remediis curari possint ?*

Non morbum , sed morborum iliadem proposita quæstio offert , vix intrâ præscriptos limites enucleanda. Passionem utramque mali Hypochondriaci-hysterici nomine insignitam ab invicem, nisi forsan ratione subjecti non differre relata symptomatum historia evincet. Si *Nenterum* audiamus, malum Hypochondriacum dici solet, ubi viros aggreditur & natura ad hæmorroïdes respicit; Hystericum verò quandò mulieres pluribus & acerbioribus symptomatis obnoxix, eodem laborant, & mensium ataxia subest. Hypochondriacum mitiora, Hystericum nonnunquam graviora affectum subsequencia committantur: frequens Hypochondriorum tensio, compressorius sub iisdem præcipuè excitatus dolor, hepatis, lienis inflatio, prostratio appetitus, infracta ventriculi vis, digestiones læsæ, ructus, nausæ, vomitus, borborygmi, ventristormina, adstricta alvus, quæ solvitur interdum: ardent viscera, palpitat cor, dolet caput, rubent genæ, vertigo adest, tinnunt aures, copiosa fit spuitio; lassitudines adde, ineptitudines ad munia consueta, deliquia animi, vagos dolores. Læditur interdum imaginatio, præsentis horridam necis imaginem ferens, nec ullum quærelæ finem facientes, qui viri Hypochondriaco, ut quæ Hysterico cruciantur affectu mulieres, de se prorsus conclamatum pronunciant: somno ratori indulgent, dormientes terrificis excitati somniis subito expergescunt, alta ducunt suspiria, respiratio difficilis urget, & quasi strangulatoria, præcordiales angustias patiuntur, acerbis gravitatis sensus in ventriculo ab assumptis cibis persentitur, pertinaces ingravescent dolores colici, inæqualis est pulsus, febris nonnunquam in-

gruit, quæ per intervalla tanquam recrudescent, è genere intermittentium deducenda quodammodo videtur: habes & alia quæ hæmorroïdum aut catameniorum suppressionem insequuntur; denique spasticas nonnunquam, in Hystericis potissimum, tonici motûs exacerbationes observabis, quæ cum veras convulsiones repræsentent, Epilepsiam Uterinam audiunt. Nec credas in omni enumeratorum symptomatum complemento, tum Hypochondriacam, tum Hystericam affectionem poni; nec Hypochondriacos aut Hystericas omnes descripta omnia simul pati existimes velim; verum quò plura aut pauciora, quò intensiora, minùs intensa erunt symptomata, Passionem Hypochondriaco-hystericam graviolem, minùs gravem, sanabilem, curatu difficiliolem determinabis, cujus ideò plures aspicias gradus. Multiplices, ac propè infinitæ morbum antecedere causæ possunt; temperamentum ad melancholiam pronum, contentiones animi, applicatio diuturnior, vita deserta, sedentaria, solitudinis amor, crudiora ingesta, ingluvies, infrequentior potulentorum usus, hæmorroïdum, catameniorum suppressiones, dispositio hæreditaria, pathemata diversa, aliaque sexcenta. An sedem descripti superiùs morbi in liene, an cum nonnullis in ventriculo; in utero, tubis fallopianis, cum aliis repones? rectiùs haud dubiè ab affecto systemate nervoso deduces; id probant recensitæ causæ, fortiora præprimis pathemata, odorantium exhalationes; quibus omnibus, pro variâ nervorum succussione casus diversos induci nemo non videt. Morbum morbo similem dixeris, quem iisdem symptomatibus stipatum, ab iisdem vitiis oriundum videre continget, eademquè prorsus methodo curabilem asseres. Hystericum ideò malum ab Hypochondriaco nisi diversi ratione subjecti diversum, unum eundemquè affectum quoad essentialia pronunciabis.

Ergò Hysterica Passio & Hypochondriaca inter se non differunt, iisdemquè remediis curari possunt.



QUÆSTIO TERTIA.


An Ventriculi Coctioni læsa aquæ Bellilucana?



Bi cibaria salivali imbuta succo, ore trita, divisa, linguæ impulsu, muscutorumque degluttoni inservientium actione ingesta, Ventriculus cavo exceptit suo, repetitis fibrarum ictibus, necnon vasorum vi oscillatoriâ, contenta premit, volutat, atterit, multiplicique simul tum salivæ stillicidio, tum lymphæ digestivæ indefinente diluta rivo, mobilia fluidis miscet, levigat, in fluorem solvit, & quâ data porta propellit. Hæc est quam Coctionem Ventriculi vocant, cui ne impar Ventriculi actio foret, alternatas partium adjacentium, diaphragmatis putâ, muscutorumque abdominalium concussiones non parùm favere, censeant omnes. Digestivi quamdiù succi à debitâ non desciverint indole, naturalis fibrarum Ventriculi perstiterit tonus, congrua & alternatim facta vasorum oscillatio perennabitur, quæque ex adjacentium parte esse solent, rectò se habuerint omnia, cibos tamdiù tritos, subactos, digestos, coctos iri, diffitebitur nemo. Quare igitur Coctionem lædunt perversa, aquosioris modò, crassioris nunc lymphæ digestivæ natura, generata pituita iners, viscida, obstruens, laxitas fibrarum præternaturalis, debilitatus tonus, rigiditas nimia, imaginatio læsa, immutatus circuitus ordo, per se patet. Hinc pro vario læsionis gradu, imminuta simpliciter, abolita vel depravata digestio erit, generico læsæ Coctionis vocabulo insignita, diversamquæ pro causarum varietate, levem, aut minùs faustam prognosim inferens. Vitiatæ ut Coctioni occurras, præsto erit diætâ prudenter instituta, nec levia ex Pharmaceuticis, Chemicis, imò & vegetantibus auxiliorum genera depromes, quorum alia

vacuando, roborando nonnulla, crassioribus eliminatis succis, Ventriculi tonum firman, sopitamque fibrillarum oscillatoriam vim suscitando, restitunt. Vix tamen efficacius ullum aquis thermalibus remedium adest, quales sunt Bellilucanæ nostræ, quæ, experienciâ duce, per plures dies epotæ, pravos succos potenter everrunt, laxatum fibrarum tonum firman, ciborum appetitum acuunt, depravatam Coctionem emendant, imminutam, & penè abolitam restitunt.

Ergò Ventriculi Coctioni laesæ aquæ Bellilucanæ.



QUÆSTIO QUARTA.


An Cholera-Morbo Laudanum?

QUAM multis pateat difficultatibus affectio præsens, quantum, de hujus sede, causarum naturâ, differentiis, apud Authores controvertatur, Medici norunt omnes. Bilis quam Κολή vocarunt Græci, quæquæ, juxta nonnullos, frequentior morbi causa habenda est, Cholerae nomen dedit, cujus plures statuunt species: prior sese offert, humidæ vocabulo cognita, cum acres biliosi, aut corrupti, ventriculo & intestinis contenti humores, per vomitum simul & secessum copiosiores, violentis assidueque conatibus excernuntur; vehementes adsunt totius corporis perturbationes, cardialgiæ, anxietates præcordiorum insignes, lancinantes & abdominis dolores urgent. Siccam seu secundam Cholerae speciem efficit assidua, copiosa halituum flatuumque per os simul & alvum, cum inflatione & strepitu erumpentium excretio, ventris, lumborum, laterumque dolore stipata. Hæc autem ad dolorem colicum flatulentis productum, vel ad affectionem hypochondriacam à nonnullis solet referri, Suppressa tandem tertia vocatur species, in quâ
nil

nil per os aut anum excernitur, sed vanus tantum vomendi & ejiciendi conatus adest. Rursus semisuppressam aiunt, ubi irritato per alvum nisu humores aut flatus ore erumpunt, aut vice versâ, nullâ per os excretionem factâ, solvitur alvus. Differentias alias ab intensione, symptomatum numero, diversitate causarum, temperamento, ipsamque prognosim deduces. Cholera mitiori inductam causâ, nec gravioribus stipatam symptomatis, minùs gravem; in viris delicatioris temperaturæ quàm in robustioribus, in mulieribus quàm viris pejorem; post assumpta venena, corruptos aut qualitatem deletricem adeptos humores pessimam nunciare non dubitabis; tandem si lypothimiam, convulsiones, membrorum stuporem, frigiditatem in extremis, lividam faciem, debilem pulsum, collapsas vires Cholera induxerit, de ægri salute sæpiùs conclamatum. Quibus causis acriores evadant biliosi succi, ventriculum & intestina ad contractionem stimulant, copiosi irritantes generentur flatus, cuique notum. Prava incusabis assumpta, dispeptos cibos, crudos, allia, brassicas, melones, fungos, nuces, fructus immaturos, vinum vapidum, immaturum, dulce, aliaque. Biliosis stimulantibus succis, sensibilitatem ventriculi, intestinorum, nimiam addes, inflammationem vel spasticam fibrarum rigiditatem quandoque adjunges. Diversam hujus aut alterius causæ suspicionem movebunt prægressa, concomitantia. Concipis cur læcessito ventriculi aut intestinorum cavo, ob sympathicum spirituosum liquidi fluxum, muscoli abdominales contracti copiosam biliosi nunc succi, flatuum modò per os simul & anum excretionem promovent, diversa materierum species, ipsarum penuria, stimuli sedes humidam, siccam, suppressam, semisuppressam Cholera docent. Causarum diversitas curationem diversam poscit. Si morbus biliosi, acrioris, corruptive succi soboles fuerit, absorbentia suadet, corall. rubr. præparat. crystall. mont. ocul. cancr. tum opiatas ex ipsis cum syrup. conv. paratas. Qui ortum à venenis corrosivis duxit, pinguibus, oleosis, lacte, oleo amygdal. dulc. huic occures. Sensibilitatem nimiam demulcentia tollent, tandem ubi rigiditatis fibrarum nimia, aut motus.

spastici suspicio erit, imperabitur theriaca cœlestis, aut, quod palmam aliis præripit, opiat. laud. vel liquid. sydenham. quo motus spasmodicos sisti, prioremque fibrillis flexibilitatem restitui frequentior experientia docet.

Ergò Cholera-Morbo Laudanum.



QUÆSTIO QUINTA.

An difficili Dentitioni sectio Gingivarum?

Dentium situm, ordinem, numerum, usum nemo non novit. Alveolis implantantur, Gingivis firmantur utrimque, vasisque diversi generis pro more partium reliquarum instruuntur. In pueris uno lactis usu vivere solitis rarò antè sextum, septimum, vel octavum mensem manifestantur, Dentatos rarius adhuc nasci infantes videre contingit. Gingivæ sensu sat exquisito donantur, quo fit ut sine dolore quodam vix unquam dilacerentur. Ideò sanè non omnes simul prorumpere Dentes à providâ statutum naturâ, ne simultaneâ Gingivarum ruptione vividior excitatus dolor, periculosa, sæpiusque lethalia symptomata inferret: prius igitur canini, incisores postea, maxillares tandem vulgò solent oriri. Eruptioni proximis indicant oris calor, Gingivarum pruritus, dolor, tumor, copiosa salivæ emissio, & hæc omnem plerùmque Dentitionem comitantur. Ast ubi firmiorem Gingivæ texturam obtinent, quæ Dentium appulsui non cedit, aut plures simul, sed præptimis maxillares conatum edunt, graviora multò ingruunt symptomata, inflammationes fiunt, vigiliæ adfunt, inquietudines, angores; excitatur febris, prostratur appetitus, nonnullis adstringitur alvus, quæ diarrhæâ in aliis solvitur; imò subortis nonnunquam convulsionibus, vitam cum morte

tenelli commutant. Varia puerorum ætas, temperamentum diversum, prægressa, concomitantia, symptomatum numerus diversam efficiunt prognosim. Ubi, quæ recensuimus omnia à difficili pendere Dentitione compertum erit, eò tota collimare debet curatio, ut cita Dentium eruptio promoveatur, Gingivas sæpius contrectando, emolliendo, digitis fricando, mucilaginibus psillii, pulpâ radicis altheæ, vel cerebro leporino inungendo, ac tandem, quod promptius erit, si Gingivæ superficiem Dentes attingisse agnoveris, ungue aut cultro Gingiva incidenda, quo facto remitti symptomata, tenellum & protinùs liberari sæpè sæpius observabis.

Ergò difficili Dentitioni sectio Gingivarum.

QUÆSTIO SEXTA.

An Vermibus Semen Santonicum?

QUotquot intrâ humanum corpus generantur Vermes, ex ovis natales ducunt. Seminia horum cum ipsis assumuntur ingestis; nec mirum, his scatent fructus terræ, legumina, triticum, hordeum, fæcale; circumfluunt & ipsæ mactatorum animalium carnes, ne de potulentis loquar, quæ Verminoso non minùs inquinata seminio tradunt nonnulli. Forsân & ovorum pullitie circumfusus refertur aer. Homines ætatis cujuscumque, sexûs omnis, Vermibus obnoxios esse constat, obnoxiores adhuc infantes, qui ablactati, aut ipso lactationis tempore, offis, panatellis, imò carnibus incipiunt uti, voraces nullam diætam observant, nec corpus debito motu exercent. Licet nulla ferè sit pars corporis, in quâ gigni Vermes non possint, frequentiore in stomacho & intestinis reptilium mini-

morum exclusionem promoveri certo certius est: favet blanda loci humiditas, duriorē ovi corticem relaxando, calor & lenis occurrit, poros dilatans, partesque ovo conclusas ad motum & accretionem disponens. Longi & rotundi Vermes alii sunt, terrestrium lumbricorum figuram repræsentantes; sedem in intestinis tenuibus, & in ipso quandoque ventriculo habent. Quosdam rotundos & breves ascaridum nomine observabis, qui in recto præprimis intestino stabulantur. Lati denique nonnulli sese offerent, qui laneam aut sericam vittam quasi æmulando, tæniæ, vittæ cognominatione designantur, & ad plures palmos, ne dicam cubitos extenduntur. Creduntur hi ultimi ex minoribus plurimis, ob figuram cucurbitinis, coalescere, quod ego imaginarium credam. Quæris cur in senibus, fæminis, infantibus uberior fiat Vermium genesis, hoc totum ab humidiori temperamento, remissiori calore deducendum, quorum ratione Vermium semina, actione ventriculi debilioris elusâ, ad expansionem excitantur. Viros è contrâ temperie minus humidâ, calore vegetiori donatos Vermibus rarò tentari continget; ova namque siccabit calor, & humores, Vermium pabulo convenientiores absument. Ex acẽscente oris fœtore, ventris morfu, juvenili aut senili ætate, pruritu narium, lumbricos in intestinis hospitare suspicaberis. Lati continuâ ferè appetentiâ denotantur. Pruritus peculiaris in intestino recto, ægros discrucians, tenesmo comite, ascaridum præsentiam arguit. Tutius tandem signum ex Vermium excretionē deduces. Vermes enecant radic. aristoloch. hyperic. salv. chicor. gentian. amara omnia, colocynthiac. aloetic. æthiops mineral. mercur. dulcis, pulvis de tribus: at quia Verminosis maximè infensum Santonicum semen, ac forsan inter omnia præstantissimum docuit usus, concludimus.

Ergò Vermibus Semen Santonicum.



QUÆSTIO SEPTIMA.

*An Atheroma, Steatoma, & Meliceris sectione simplici,
vel extirpatione radicitus curari possint?*

Unicatos, in cystide seu folliculo inclusos vocabis tumores, qui tunicâ propriâ obvoluti, plûs vel minùs duri, in diversis corporis partibus eveniunt. Differentias ponunt figuræ, loci, consistentiæ, accidentium varietates: lupiæ namque esse solent, testudines, talpæ, seu topinariæ, natæ, vel naptæ, ganglionnes, nodi, strumæ, scrophulæ, cancri; ac tandem qui titulo comprehensi tumores, Atheroma, Steatoma, & Meliceris peculiarem, impositi muneris ergò, attentionem promerentur. Contentus ubi cystide humor liquidiori sub formâ pultem æmulatur, Atheroma; si indurato similis sebo, Steatoma; denique ubi ratione spissitudinis medium quasi inter utrumque retinens, ad mellis instar crassitiem habet, meliceridem audit. Materiem suppeditat lymphæ, quæ uberior, crassiorve à circuitu præpedita in vasis propriis hæret, succisque indefinenter appellentibus aucta lymphaticorum parietes ultrâ tonum pellendo, ductus ampliat, diducit: hinc, ut ab arteriis diductis aneurisma, varix à venis, ita & à vasorum, quæ lymphatica vocant, dilatatione, cystis, pro majori vel minori succorum congestione, major vel minor, variumque pro diverso eorundem spissitudinis gradu tumorem efficiens, oriunda. Succos augent, spissant commissi in victu errores varii, stagnationi disponunt obstructions diversæ, debilitas, ictu contusione vasis inducta, ruptio, laxitas naturalis. Periculum raro portendunt tumores hujusmodi, quos sine augmento, imò & absque ullo, præter deformitatem, incommodo per totum vitæ curriculum gestari posse norunt omnes. At quia metus est ne insigniori adeptâ mole, nutrimentum cæteris dicatum

partibus absumendo, valetudini tandem officiant, aut, quod pessimum sanè, facto nonnunquam abcessu, in cancroso, fistulosa abeant ulcera præprimis timendum, progressui citò occures. Tumoris, quo forsan major nullus, femori dextro adnati, quadragintà circiter librarum pondus adæquantis exemplum videre ab annis aliquot contigit. E tumoribus libræ unius nonnullis, librarum plurium aliis, quos singulos propria obvolvebat cystis, quampluribus communi sacco reclusis immensus coaluerat tumor: portentosum, ægri negligentia, volumen adeptus, ruptione tandem suâ ægrum de medio sustulit. Diligentiorẽ hujus historiam in actis Regiæ Parisiensis Academiæ ann. 1728. refert D. D. Antonius Guisard Medicus Doctor, colendissimus parens. Topicis resolventibus difficilè cedunt tumores expositi, suspecta & plerumque in horum curatione suppurantia diversa, ut & caustica varia; & quidem, uti jam innuimus, canceri periculum sæpius adest. Tutius ergò, si commodè fieri possit, ad Chirurgicam operationem procedes. Si tumoris angustior fuerit basis, filo serico, seto equino deligabitur, tamdiùque manebit ligatura, donec tumor nutritione defraudatus spontè decidat. In latiori tumoris basi cutim scalpelli beneficio longitudinaliter, vel cruciatim incidendo, post separata labia, tumorem tunicatum excindes, aut totum tumorem simul cum carne contegente, novaculâ amputabis: ablato sic folliculo tumorem radicitus curas.

Ergò Atheroma, Steatoma, & Meliceris sectione simplici, vel extirpatione radicitus curari possunt.



QUÆSTIO OCTAVA.


An Cancro Exulcerato Cauterium actuale?

Lymphatica, aut arterio-lymphatica vasa diversis solent causis obstrui, quæ liquida inspissando, quantitatem eorum adaugendo, mobilia dissipando, albam sanguinis portionem concretioni disponunt. Indurata lymphæ vel in lymphaticis vel extrà vasa collectio tumorem durum, insensilem, pressionem resistentem absque mutato cutis nativo colore ut plurimum parit. Ductibus minimis æquabiliter infarctis, æquabilis manet tumoris superficies, inæqualem verò inæqualis producit infarctus. Plurima nonnunquam in textu simul cum lymphaticis ingurgitata vasa sanguinea tumorem rubore perfundunt, turgida quandoque vicinæ venæ, pro majori vel minori stagnantis sanguinis morâ, profundiorum vel minus profundum colorem exhibent; livida nunc, nigricans modò elevata pars cernitur; tandem si quæ ad marginem ponuntur vasa inflammationi fiant proxima, & instar pedum Cancrum recurvata intenduntur, malignus oritur, dolens, inæqualis, lividus aut subniger tumor, qui à similitudine Cancrum audit. Quo magis in tumoris textu aut superficie infarciuntur arteriæ lymphaticæ, eò majorem appellenti sanguini obicem ponunt, vasa magis ac magis replentur; validior inde arteriarum, & ab infarctu inæquali inæqualis pulsatio, fibrillarum nervearum distractus violens, à quo in minimis utpotè ductibus facto dolor sævus & acutus intenditur. Qui totus scirrhusus erat, inflammatus nunc tumor est: infarctis quæ tumoris textum efficiunt, superficiem perreptant, arterio-lymphaticis, ad vasa vicina irruit cruor, ea replet, & cumulo distendit; tument ergò non solum in textu, sed & in vicinis partibus vasa quæ pro majori aut minori, juxta tractum suum protrahuntur, aut

minùs protracto infarctu, Cancrì velut pedes majores vel minores referunt. Quæcumque scirrhum faciunt, vasorum compressiones, adstrictiones, humorum in vasis propriis indurationes, mutationes in circulo, victus austerus, acer, calidus, excernenda retenta, sed præprimis acriora scirrho permixta Cancrum parere ea omnia apta erunt. Quamdiù cancer suis continetur pellibus, occultus nuncupatur. Hunc denotabunt prægressa scirrhi signa, sed præprimis lancinans dolor, urens, color ruber, purpureus, lividus, ater, durities scabra; varicosa, crassa, tumentia, nodosa, vasa sanguifera. Si quando curationem admittat, maximè initio, ubi vasis non magnis adcretus, liber, aptiori positus loco, ab exteriori productus causâ, in corpore alioquin vegeto, ferri ope abscindi vel extirpari tutius poterit. Emollientium, emplasticorum, suppurantium genus omne, ut & caustica, vesicatoria in Cancrum ulceratum vertentia, cane pejus & angue prudens fugiet medicus. Inveteratum Cancrum, quem per plures annos occultum in corpore latere posse docuit usus, incuratum relinquere, quàm incertis medicaminibus aggredi satius multò erit. *Cancros occultos omnes melius est non curare, curati enim citius intereunt, non curati longius tempus perdurant. Hippoc. sect. vi. aph. 38.* Pellibus ulcere ruptis manifestus & ulcerosus cancer erit, prægressi occulti soboles: torpescientium namque humorum particulæ vitali fluente liquido auctæ vasa distrahunt, ac pro mole crassiori, figurâ & inæquali inductâ acriores factæ, causticam vim exerendo tunicas dilacerant, rodunt; ichorosa, acris, foetida effluit sanies, quæ vicina exedens, in ambitum serpit: tumida, retorrida prostant ulceris horrendi labia; urens, pungens, immanis persentitur dolor, hæmorrhagiæ fiunt, convulsiones, febris inducitur lenta, atrophia, mors. Quænam ergò Cancrì in genere sit prognosis statuenda, lippis & tonsoribus notum. Lethalis cancer est qui partes interiores, uterum putà, hepar, lien, palatum, fauces aggreditur; ut & qui à pravâ sanguinis constitutione oriundus, insanabilis prorsus. Periculosus admodum qui mammas, aut alias quascumque exteriores partes occupat, nec absque sectione, vel unctione, periculosi
semper

semper ominis, sanandus. Tutior sanè, 'uti modò fuit insinuatum, partis Cancrosæ excisio, vel amputatio, ubi excindendi vel amputandi locus est. Ideò si in mammâ ulceratus cancer fuerit, cute in circuitu, scalpelli beneficio præcisâ, mamillam detrahes, aut juxtâ receptiorem nunc methodum, mammam ipsam novaculâ amputabis, locum deinde actuali cauterio, seu ferro candenti, tum ut sistatur cruoris fluor, tum ut affecta pars radicitus extirpetur, diligenter cautèque inures. Rursus quod exulcerato minori Cancro, ubi minùs potest amputatio celebrari, felici cum successu ustio plerumque occurrat, concludimus.

Ergò Cancro Exulcerato Cauterium actuale.



QUÆSTIO NONA.

An Paralyfi infusum Colocynthidis?

ABoletur ubi sensus, vel motus, aut uterque simul, partiumque affectarum inducitur laxitas, nullo ni-
xu voluntatis, vel vitæ superanda, Paralyfis fit; quæ si totum corpus infrâ caput, pectore & corde exceptis, invaserit, Paraplegia; si latus corporis alterutrum, hemiplegia nuncupatur. Sensûs, motûsque abolitio perfectam, alterutrius tantum, imperfectam efficit: universalis tandem, aut particularis esse solet, prout totum ferè corpus, vel partem peculiarem, brachium putâ, crus, linguam occupat. Sensûs & motûs exercitium, ex physiologicis, tamdiù perficitur, quamdiù debita sit staminum tensio, à fluidis, nervoso potissimum succo prorsus oriunda. Æqualis in partes oppositas fluxus æqualem, inæqualis verò tensionem inæqualem parit. Concipitur cur nunc sibi contrariuntur antagonistæ musculi, nunc unus oppositi resistantiam vincit. Pone fluidi nervosi fluxum in musculos oppositos prohiberi, relaxatum

utrumque protinùs iri, & immobilem fore consequens est: quo magis ergò aut minùs, in has vel illas partes, plures vel unicam, interiorem affecti texturam membri, externam superficiem, vel utramque simul; infrà caput totum corpus, dimidium hujus, præpedietur spirituum fluxus; abolitum aut imminutum, in his, vel illis partibus; pluribus, aut unicâ, sensum vel motum, aut utrumque simul habebis; perfecta vel imperfecta Paralytis erit, universalis, aut particularis; Paraplegia vel hemiplegia. Rursùs si molles, causâ quâcumque, flaccidique adeò fuerint villi, ut ab spirituofo influxu tendi haud quaquam possint, nullumque proinde concipere impetum valeant; modo non ab simili, sensûs vel motûs, aut utriusque sequetur impotentia, Paralytis. Quæcumque nervos transmittendæ nervali lymphæ ineptos efficiunt, compressione, ligaturâ, obstructione, resolutione, sectione, aliisque, Paralytim ea omnia inducere apta erunt: fracturas luxationes, adstringentia varia, crassos & impactos humores, gangrænas, vulnera annumerabis, ut quæ siccando, mobilia dissipant; humidiora, calefaciendo, absumunt, fibrillarum nervearum collapsum promovendo, nervorum cavum coarctant. Tempestas aut præcesserit humidior, vel in frigidiori & humidiori decubitus, à quo fibrillarum laxitas & emollitio præternaturalis. Ea præter quæ Paralytim antecedunt, recenseri & aliæ causæ poterunt; apoplexia nempe, elephantiasis; torpor qui cum sensûs obtrusionem, motûsque difficultatem audiat, proximus est ad Paralytim gradus; tremor à quo incipiens naturalis liquorum fluxûs læsio indicatur. Remanente operationum animi exercitio in Paralyticis, illæsum pro certo manet cerebrum, nervi igitur intrâ, aut extrâ cranium, sed infrà cerebellum positi, seu à medullâ spinali oriundi afficiuntur; quæ enim ab ipso cerebri vitio orta Paralytis, ad apoplexiam potissimùm vergit, unde & imperfecta consuevit apoplexia nuncupari. Paralyticum affectum pro varietate causarum, diverso magnitudinis gradu, fortem vel mitiorem, periculosum, aut periculo vacuum, insanabilem, curabilemve judicabis. Brevi enecat, qui pulmones, cor, gulam affligit, aleæ plenus qui à causis

internis vesicam, intestina occupat; faciei musculos invadens, apoplexiæ nonnunquam prænuncius esse solet; infaustum portendit omen Paraplegia, Hemiplegia in Paraplegiam sæpius abit; mitior tandem curatuque faciliior sensus vel motus unius abolitio, quàm privatio utriusque. Singularum Paralyseos specierum curationem percurrere haud sinunt breviores præscripti temporis limites; in genere præsto erunt attenuantia, dissipantia, nervina, saponacea, frictiones externæ siccæ, calidæ ad ruborem usque, emplastra acria, aromatica, cucurbitæ, vesicatoria, aliaque. Auxilium sæpius ferent vomitoria diversa, ut & purgantia quæ ex mineralium, vegetabiliumque regno depromes, metallica, mercurialia; hydragoga generis diversi, inter quæ, ubi stimulatione, simul & luxuriantis seri excretionis opus est, scopum adimplent varia Colocynthis præparata, nec non ipsius in vino albo infusum, unde concludere liceat.

Ergò Paralyse infusum Colocynthis.

QUÆSTIO DECIMA.


An Epilepsia Pulvis Algaroth?

Microcosmum tot ossibus, basim, figuram mirabilis ædificii aliis, thecam nonnullis, cratem aliquibus, pelvim cæteris efformantibus instructum; tot chordis tensum, vectibus firmatum, hypomochiis, prælis, piltrinis, cribris munitum; fluidorum indefinienti rivo irroratum nemo sanè non stupeat: ipsum à supremo rerum conditore divinâ insufflatum aurâ, sacris docentibus libris, amplius miraberis, numinis digitum agnosces, & hominem creatis sub Cælo omnibus fabricâ, structurâ, dignitate longè superiorem pronuntiabis. Jussa hujus excelsa polum tueri facies; magna parare, ingentia mente movere, agitare huic

ipsi concessum. Verùm quod superbioris tumorem animi con-
 tundat, ne infinita propè numeretur ægritudinum cohors, mo-
 rã, ob causas multiplices, fluidis intrã caput circuitum agentibus
 subito inductã, ceu fulminis ictu percussus corruit homo;
 & ubi, propter cerebrum inæqualiter compressum, ad partes
 musculosas vividè & inordinatim fluunt spiritus; qui majora
 & majora inexplibili prorsus animo non ità pridem molieba-
 tur, dæmonum veluti catervã obsessus agitur. Insultus Epilep-
 tici, imaginem habes; quem à diis iratis missum putabant ve-
 teres, sacrum ideò, vel quod sacram Palladis arcem invadat,
 forsan dixerunt: Hercules quoque ab Epileptico hercule, aut ut
 aliis placuit, quod herculeo labore vix superetur; Epilepticus
 à subitanã prehensione, caducus à casu, comitialis denique
 à dimissis olim, ob Epilepticum, comitiis nuncupatur. Paroxis-
 morum varietas diversam Epilepsiæ speciem facit, nec omnes
 eodem modo laborare Epileptici consuevere. Alii externis inter-
 nisque sensibus amissis, repentè cum concussu violento proster-
 nuntur, dentibus strident, spumam ore emittunt, respirationem
 ducunt quasi strangulatoriam, semen, alvinas fæces, urinam
 involuntariè profundunt, totum nunc convellitur corpus, modo
 una aut altera tantùm pars concussa manet; finito insultu nul-
 lam anteactarum rerum memoriam retinent. Occurrent alii,
 in quibus vel capitis solùm, brachii, tibiæ, vel dimidii cor-
 poris concussio, simul cum sensuum abolitione, aut salvã quan-
 doque mente, salvo & motuum quorundam voluntariorum exer-
 citio, concussis aliis, observabitur. Idiopathica est, quæ ab ipsã
 cerebri labe oriunda, torpore, imminutã memoriã, turbulen-
 tis insomniis, sensuum hebetudine stipata, debito manente par-
 tium corporis reliquarum statu, subito sine ullã ægri præsen-
 sione ingruit. Ast ubi, absente omni laborantis cerebri signo,
 vitium lienis, jecoris, ventriculo, aliisque tum externis, tum
 internis partibus hærens, insultum Epilepticum, consensûs ra-
 tione induxerit, hunc tu sympathicum vocabis. Pone tumores
 in cerebro præternaturaliter genitos, varices in venis, in arte-
 riis anevrismata, refertam pure cystidem, extraneum corpus
 cranio inclusum, depressiorem à fracturã malè curatã partem
 cranii;

cranii; patet cur præmissis in victu erroribus, crassior nunc, copiosior modò factus sanguis, aut impetu vividiori ad cerebrum pulsus, vasa ultrà modum distendit, nec eâ, quâ fuit per arterias advectus proportionè, per venas regredi amplius valens, stagnat; cerebrum premit, & ab inæquali pressione spirituosum liquidum in hos vel illos nervos, his vel illis musculosis partibus prospicientes inordinatim adigit. Spasmos hinc, vel motus spasmodicos deduces. Ut insanabilia pleraque cerebri vitia, insanabilis & ipsa, quæ hinc ortum Epilepsia ducit: si quædam reverà fuerit, insultus præcavendi methodus, monstrabit prudens rerum nonnaturalium usus, diætâ sapienter instituta, purgantia idemdem usurpata; martialia, quæ sanguinem attenuando circuitui aptiorem efficiunt, debilitatum nervosum genus firmabunt lusus, equitatio, vectio: insultum discutiant vomitoria diversa, inter quæ, ubi succussione validiori opus est, mira præstat emeticus pulvis, celebri Algaroth, seu mercurii vitæ cognomine insignitus.

Ergò Epilepsia Pulvis Algaroth.



QUÆSTIO UNDECIMA.


An Concretioni Cordis Polypose incidentia spirituosa, & aperientia?

COr præcipuum vitæ organum constringitur, & alternè dilatatur; constrictione sanguinem trudit in arterias, ipsumque per venas reducem ampliatis excipit thalamis: appensæ & quoque constringuntur, ac vicissim dilatantur auriculæ; Cordis ampliationi constriction, constrictioni dilatatio auricularum respondet. Mechanicam prorsus motuum alternationem siste-

re, ac pro nutu redintegrare haud nobis concessum. Ordinem plurima interturbant; ea potissimum quæ auricularum, thalamorum, vasorumque adjacentium cavo præternaturam genita, capacitatem minuendo, liberiori sanguinis circuitui obices ponunt. Fungosa sese offert subalbida nunc, excreto succo haud absimilis; rubra modò, subnigris interdum stigmatibus conspersa excrescentia, quæ interiori Cordis substantiæ adnata, ob quamdam cum pisce Polypo similitudinem, Polyposa solet ab auctoribus Concretio nuncupari. Ea quandoque est, ut oblongis veluti totidem pedibus extensa, ventriculos, simul & implantata Cordi vasa quasi repleat. Concrementum si examinaveris, totum id, Malpighio auctore, è superimpositis, extensisque pelliculis, nervosum quasi corpus æmulantibus, cum aliquali tamen mucositare, coagmentatum reperiens; laceratum in oblonga solidaque filamenta abibit compertam Polyposarum Concretionum genesis habes, si à solidorum pressu nimio, fluidorumque ingluvie, quod strangulatus genus est, obstructionum causas oriri conceperis. Nosti cur lymphæ à molli solidorum systole agitata non crescit, patet quare à spasticâ solidorum diathesi vasa stringente, contenta in iis fluidorum pars, quæ relicta sibi in Concretionem spontè propendet, inspissatur & solidescit infasta prorsus, imò lethalis Polyposa Cordis Concretio omnis, altiores potissimum ubi radices egit; inanis, & meo quidem sensu, solertia Medici, nisi incipienti statim concremento occurrat. Viscosiores igitur succos, partiumque spasmus imminens suspicatus, diluentia & quæ spasticos sedant motus, statim parabis, scopum attingent incidentia spirituosâ, & aperientia, quorum ope glutinosiorem succorum naturam dividi, obstructiones factas tolli, futuras præcaveri practicis notum.

Ergò Concretioni Cordis Polyposa incidentia spirituosâ & aperientia.





QUÆSTIO DUODECIMA.

An Diabeti Lac?

INfrequentem ullam, si praxis obtulerit ægritudinem, Diabetem sanè, quâ morbus forsan rarior nullus. Hanc Galenus, bis tantum se vidisse ait: nùm reverà detur, dubitant alii; existentiam cæteri negant. Si Schenkium, Zacutum Lusitanum, Forrestum audiamus, adhibenda si Tulpio, Dodonæo fides, Diabeticos non semel contigit observare. Diabetes, urinæ profluvium, hydrops ad matulam solet ille nuncupari affectus, quo qui laborant, urinam tenuem, minus digestam, potulentis copiosiore frequentiùs excernunt, colliquatos sæpius, & in serum abeuntes succos, aut ipsum quandoque chilum cum urinis copiosiori mictione egerunt, siti urgentur intensâ, præcordiorum patiuntur æstum, viribus languent, febre lentâ haud rarò tentantur, ac nisi promptior fuerit medela, atrophîâ consumpti pereunt. Diabeticum urinæ profluvium non est, quod diureticorum, aquarum mineralium usus infert, Diabeticum non magis, quod ab evacuationibus criticis, febrim solventibus nonnunquam invenitur: verùm si contumax fuerit causa, liquefactus fundatur cruor; quæ naturæ normam statim non superabat, in Diabetem poterit urinæ excretio commutari. Morbum antecedunt prægressa diuturnior maligna febris, colliquativa, & in lentam degenerans; remediorum, quæ diuretica vocant; aquarum acidularum abusus; vini Rhenani, Theè potus longior, copiosior; venena humores colliquantia; ut & quæ post exercitia immodica, protractiores vigilias, immoderatos liquorum ardentium haustus, mobilioribus dissipatis, secretoria viscerum oscula infarciunt; quæ omnia succorum compagem laxando, serosi laticis extricationem inducendo, copiam augendo, utiliores succos in serum commutando, aut tandem obstructis visceribus in abdomine con-

rentis, quâ data porta in patulos, laxatos, nec non frequentiori urinæ transcolatione hiantiores renales ductus, uberiores succorum copiam sub lotii formâ promovere consueverunt. Duplicem, ut patet, Diabetis causam statuimus, eoque lubentius statuere juvat, quod eam celeberrimus Delphini serenissimi, Regiæque stirpis Archiater D. D. CHICOYNEAU, lycæi hujusce nostri Decus & ornamentum, inconcusso prorsus modo olim confirmavit. *Et ideo rursus statuendum est, ait Vir Amplissimus, magnam seu immoderatam liquidorum per urinas excretionem nunquam accidere, nisi hac duo præsertim concurrant, nimirum & abundantia liquidi apti ad secretionem, & ductuum secernentium, ut & excernentium amplitudo.* Si abundans urinæ profluvium magno cum corporis levamine superveniens, criticum sit, morbum alium solvat, ultrâ limites non extendatur, nec diutius perseveret; bonis ægri rebus contigisse pronuntiabis. Quo diuturnius, minùs diuturnum; viscera magis aut minùs læsa; succos ad colliquationem magis vel minùs vergentes, majorem aut minorem imminere atrophiam, contumaciorem, minùs contumacem; funestio-rem, minùs funestam causam deprehendes; periculosior, minùs periculosa, lethalis, insananda, curabilisve statuenda ægritudo. Variæ diabetici profluvii causæ diversam medendi postulant methodum. Si febres præcesserint ardentiores, acuti morbi, acrioribus, piperatis abusus fuerit æger, ad edulcorantia, lenientia, confuges. Viscerum infarctus leviora indicant aperientia. Solidorum laxitati roborantibus variis occurre. Tandem si ingentior lotii excretio, sanguinis dissoluti liquative soboles, medelam reverà admittere possit, eam omnem ab incrassantium, adstringentium leviorum, absorbentium, mucilaginosorum familiâ obtinebis; narcotica in eundem scopum commendantur. Quod ad lactis usum spectat, chalibeatum suadebat Zacutus Lusitanus, caprillum, vaccinum, muliebre Sylvius jubebat, Willisius & ipse diætam Lacteam, apprimè conferre asserit. Horum-ce virorum insignium autoritate suffulti concludere non dubitamus.

Ergò Diabeti Lac.